



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi Effusorum ad Resvrrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1655**

§. 2. Tunc congregati sunt principes Sacerdotum, & seniores populi in atrium principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, & Consilium fecerunt vt Iesum dolo tenerent & occiderent. v.3. & 4.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

**O** Domine, cogitem obsecro sæpe de his, & pauco tempore vitæ meæ, cum discipulis tuis, tuam admirer diuinitatem, intuear bonitatem, & clementiam quâ inimicum tuum Iudam agnus lupum, ad pœnitentiam inuiraſti; tuæ etiam imiter exemplar pietatis, vt nempe super caput hostium meorum carbones ignis congregata benefaciendo etiam inſenſiſſimo inimico, ne vincar à malo, ſed vincam in bono malū ſemper. *Rom. 12. 20. & 21.*

*§. 2. Tunc congregati ſunt principes Sacerdotum, & ſeniores populi in atrium principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, & Conſilium fecerunt vt Ieſum dolo tenerent & occiderent. v. 3. & 4.*

Ponit ſimul Euangelista tempus quo conuenerint nempe de dolo capiendi Chriſtum & occidendi: & vt ſpecies conſilij iuſti magis prætenderetur habitum fuiſſe in domo Pontificis Caiphæ: ſuperaddens finem, ſcilicet ut occideretur Chriſtus in quo omnes conveniebant exceptis paucis quos conſcientia avocabat, vel intereſſe conſilio impiorum vel ſententiæ ipſorum ſubſcribere contra iuſtitiam. Iſta conſiderans, haud dubiè intra ſe exclamat.

**O** Domine non veniat in concilium horum anima mea; ſed potius da gratiam ut nunquam ſive in cauſa inimici ſive amici, prius concludam, aut feram ſententiam niſi audita iuſticia cauſæ, atque parte altera; ſed ſedito ſemper & prudenti animo expeſtem utriuſque partis reſponſum, ex quo iudicem, quod iuſtum eſt: nec dicam ſicut Iudæi reus eſt mortis non audita parte, nulla habita & viſa forma iudicæ; non auditis ſcilicet teſtibus; & viſis allegatis & probatis.

*§. 3. Dicebant autem non in die feſto ne forte tumultus fieret in populo. v. 5.*

Hic Euangelista ponit opiniones Principum & difficultatem in executione mali conſilij maxime oriebatur ex circumſtantiâ temporis, quando nimirum eum poſſent opportunè & capere & tradere morti: namque jam certo conſultatione facta concluſum erat de morte Chriſti; dicebant igitur: in ipſo feſto non erit opportunum exequi, nè forte tumultus oriatur in populo, cum multi ſint qui ei ut Prophætæ imo Meſſiæ inhæreant, Ergo præcipitandum ut ante feſtum Paſchæ moriatur vel differendum, ut poſt ipſam occidatur. In die autem feſtivitatis nolebant *tumultus* ob frequentiam populi, & multitudinem aduentantium qui plerumque varios habent ſenſus & affectus, inter quos periculum erat ne iniuſticia & invidia eorum patefieret populo placuit autem è contra Chriſto mori circa id tempus, ut tam truculenta ejus paſſio patefieret toti orbi, ejusque innocentia innoteſceret, & per miracula Paſſionis tempore peracta ab omnibus agnoſceretur Meſſias,